





9  
1771, 2<sup>b</sup>  
10

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
IVRIBVS ILLIVS QVI ALTERI  
AD EMENDVM CREDITIT

QVAM  
PRAESIDIO  
D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII

710.  
IVRISCONSULTI ET ANTECESSORIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR

HENRICVS LVDOVICVS MATTHIAS  
HERTELL

CELLENSIS  
SOCIET. DVCAL. TEVTON. ADSRIPTVS

A. D. XXVII APRILIS MDCCLXXI.

HELMSTADII  
LITTERIS VIDVAE PAVL. DIET. SCHNORRII  
ACADEM. TYPOGR.  
RECVS. A. G. MDCCLXXV.



EXTRICATIO ACADEMICA

LIBRIS HILIS OM. ALIIS  
AD EXTRICATIO CHEMIST

D. ALBERTUS FRIBERUS PRICKER


PHYSICUS ET ANATOMUS  
ET PROFESSOR PUBLICUS

HENRICVS LEONOVVS MATTHIAS

PHYSICVS

PHYSICVS ET ANATOMUS

PHYSICVS ET ANATOMUS  
ET PROFESSOR PUBLICUS



ms. 6



VIRO  
PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO  
DOMINO  
IVLIO IVSTO  
DE FLOEGEN

SERENISSIMO DVCI BRVNSVICENSI A CONSILIIIS  
LEGATIONVM INTIMIS, ACADEMIAE IVLIAE  
CAROLINAE CVRATORI COLLEGII MEDICORVM,  
QVOD BRVNSVIGAE FLORET, PRAESIDI,  
ET IN CONSILIO SANCTIORI  
REFERENDARIO

PATRONO ET MAECENATI SVO

SVPREMO OBSERVANTIAE CVLTV SVSPICIENDO



HANG

EXERCITATIONEM ACADEMICAM

DOMINO

SUBMISSA CONSECRAT

DE FLOEGEN

STRENUO DICTI BRUNSVICENSIS A CONSILIO  
LEGATIONVM INTORIS, ACADEMIAE ILLIAR  
CAROLINAE CAVATON COLLEGI MEDICORVM,  
QVOD BRVNSVIGAE FLORET, PRAESIDI  
ET IN CONSILIO SANCTIONI

REFERENDARIO

PATRONO ET MAECENATI SVO

HENR. LVD. MATTH. HERTTEL



EXERCITATIO ACADEMICA

DE

IVRIBVS ILLIVS QVI ALTERI AD  
EMENDVM CREDIDIT.

---

I.

*Praefatio, cum institui ratione.*

**I**ncidimus, quod doleat lugeatque omnis posteritas, incidimus in illa tempora, quibus debitorum dicam, an creditorum vitio salus rei publicae non consistere posse videtur, sed potius fluctibus quasi publicis agitur? Nimirum inhumanus creditor, tamen ab ipso debitor et vel per superos moram experat, precibus mansuescere nescit, sed summo et stricto, quod inuocat, iuri confisus, aut nummos vrget, aut executionem paratam. Debitor e contra naufragius incendioque constatam, aut quouis alio maioris impetus infortunio adflictam honorum iacturam deplorat, aequae ac rerum pene deperditarum praesidium quaerit in aliqua saltem mora. Quanto acerbiorum praecibus implorat nobile iudicis officium. Opat, vr, licet ringatur exactor acerbus, tamen iudex facilem se praebeat, ad indulgendam ipsi aliquam moram. Iudicio hoc inter creditorem ac debitorem suborto, quid stitendum sit, iudices quandoque dubii haerent? Metam namque iustam, quae contractuum fidem seruaret, nec creditoris summo iuri iniuriae quicquam admisceret, nec opprimeret debitorem solutioni imparem, philosophicum iuris prudentiae lapidem vocauit sapientissimus Legislator Boruffo.

A

ruffo-Brandenburgicus. *Le iuste milieu*, inquit a), *qui en maintenant la validité des contrats n'opprime pas les débiteurs insolubles, me paroît la pierre philosophale de la jurisprudence.* Quibus augustae mentis oraculis has praemisit rationes. *Les loix, qui regardent les débiteurs, sont sans contredit celles, qui exigent le plus circonspection, qui le publient.* Si ces loix favorisent les créanciers, la condition des débiteurs devient dure. *Un malheureux hasard peut ruiner a jamais leur fortune: si au contraire cette loi leur est avantageuse, elle altere la confiance publique, en infirmant des contrats, qui sont fondés sur la bonne foi.* Obmotis eiusce generis querelis, graue iudicis officium eo oneratur magis, quoniam iudicium hocce non raro innumeræ aliae lites insequi solent. Si enim debitor euerit mensam, ac illius non modo fortunæ, sed etiam victus, vestitusque necessarius sub praecone cum dedecore subiicitur: quius e communi quasi naufragio sua seruare satagit. Non raro tunc de protopraxia solet esse contentio, dum, quae aliis indulta sunt, iura singularia alii suum in usum vertere satagunt. De pecunia credita ad id, vt domus aliaue res ematur, subinde in foris agitatam, scimus, quaestionem, num iure hypothecae? an vero alio quodam iure singulari gaudeat? Quum legum interpretes non conueniant in decidenda quaestione obmota: non iniucundum fore, credidi, si lectoris iudicio subicerem meditationem de iuribus illius, qui alteri ad emendum credidit.

## II.

*Ius personale illi, qui ad emendum credidit, tribuit L. 26. D. de reb. auct. iud. possid., quae illustratur.*

Conturbatis, debitorum-rationibus, quis quaeso nescit,

a) In *dissertatione*, quam Musæe facile suam agnoscent, *annalibus historiae Brandenburgicae* annexa sub tit. *Diff. sur les raisons d'établir ou d'abroger les Loix* p. m. 29.



scit, aduocatos auide suscipere causas creditorum, nec raro, seposita omni verecundia, lites tam diu protrahere, donec creditores, fraudibus decepti, se sumtuum iacturam fecisse, sentiant? Istos, vides, ea propter protopraxiam exigere, quod hanc et vel ipsae leges ipsis indulgeant. Illos idem desiderare, conspicias, ob ius hypothecae, quo munitam, laetantur, pecuniam ab ipsis creditam. Hos vero urgere, audis, priuilegium personale, cuius vigore saltem praeferendi forent illis, qui nudis cautionibus contenti, aliorum inopiam nummis creditis subleuarunt. Adfirmare nullos dubito, et hunc gaudere duntaxat priuilegio personali simplici, qui alteri ad emendam credidit. Ne, temere id dixisse, videar, audias quaeso, PAVLUM iurisconsultum. *Qui, inquit b) in nauem extruendam, vel instruendam credidit, vel etiam ad emendam: priuilegium habet.* Quo effato PAVLI nil melius, me hercule excogitare poterit, quod conduceret magis ad sententiam adornandam. Si vero nosse cupis effati huius et rationem et occasionem, qua prodiit: scias velim, ante bellum punicum primum Romanos nec se, nec sua bona, commisisse fluctibus oceani; quem, aquilonibus inter se pugnantibus, e tranquillo in procellosum verti, sciebant, et statim inter venti sibilos albescere, ac spumosa aquarum mole ex imo fundo assurgere ad caelum tumidum iratumque, nec raro, tonitru formidabili mugitu reboante, naues horrifono fragore succidere. Inde autem deteges rationem, quare nec in legibus XII. tabularum, nec in vlla alia antiqua iuris ciuillis parte, vestigium deprehenditur de rebus nauticis. Quae vero subsequenter temporibus, per vniuersum maris mediterranei tractum, tanquam ius aliquod gentium receptae erant; leges Rhodiorum nauales et vel tandem adeo placuerunt Romanorum Imperatoribus, vt easdem illas ad-

A 2

b) L. 26. D. de reb. auct. iud. possid.

fecerent. c) Ab eo inde tempore, credite mihi, lites de rebus maritimis suscitari coeperunt, quae vero non, nisi difficulter, componi poterant. Nam ius maritimum primum arctis finibus inclusum, dein per diuersa tempora non dicam legibus, sed saepe fori disputatione aut delusum, aut ampliarum fuit. Quare praetorum erar, edicta de rebus maritimis in albo proponendi. Aut fallit animus, aut adducta abs me verba PAVLI sistantur fragmentum edicti, de rebus eiusce generis dati. Ut ita sentiam, me inprimis mouet inscriptio allatis verbis praemissa. Loquutione enim *breuis edicti* conspicua in inscriptione intelligendum esse tale edictum, viri eruditi haud ita pridem obseruarunt d), quod praetor emittere solebat, prout iudicii vsus exigebat. Accedit, quod allata verba perspicuitate ac facilitate se commendent. Quare eo magis concludere licet, ea non PAVLVM, sed alium quandam, dubio procul praetorem, auctorem agnoscere; quo certius est, caeteras leges, quas PAVLO debemus, verborum tenebris adeo esse inuolutas, vt Paulinum scribendi genus, i. e., obscurum, graecissimos redolens, implicatum, ambiguum, tortuosum in prouerbium abierit e). Naturali autem aequitate impulsus praetor, memoratum edictum proposuisse in albo, videtur. Ius enim illud, quod

- e) Testimonia huc spectantia attulit PET. van der SCHELLING *Diatr. de lege Rhodia de Iactu*, cap. III.
- d) Id fecerunt G. PANCIOLOVS *Thef. Var. Lect. vtriusque Iur. L. I. c. 34.*, I. G. HEINECCIUS *Hist. Edict. L. I., C. II., §. XII. p. 26. sq. in Opusc.*, I. BERTRANDVS & de *Vit. Iurispr. L. I. c. XXV.*
- e) Obscuritatem sili PAVLI crepant FR. DVARENVS in *Comm. ad L. 132. de V. Obl.*, GIL. REGIVS *Enantioph. L. II. c. 14. fol. 1503.* *Thef. Orton.* IOS. AVR. de IANVARIO *de Republ. ICtorum p. 56.* Praeclare interim FR. CAR. CONRADI functus est patrocini PAVLI aduersus doctores in *Par. p. 514.*

quod e natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, vnumquemuis edocer, aequum omnino esse, vt e debitoris obaerati facultatibus nummos mutuo datos prius recipiat creditor, cuius iura defendimus, quam iste, qui exarato chirographo contentus, mutuum dedit. Constat enim inter omnes, pecuniam ad emendum creditam versam fuisse in vtilitatem accipientis. At idem illud non semper adfirmari posse, dubio caret, de nummis istius creditoris, qui chirographo simplici emisso, mutuum dabat debitori. Ecquis enim nescit, saepius illum, qui cautione simplici data, accepit mutuum, esse patrimonii sui nepotem, ac raro creditum in suos vertere vsus? Ecquis non fatetur, in creditoribus, quos chirographarios f) nominare solent a consueto more debitum chirographo debitoris probandi, omnem quandoque culpam haerere, vt debitores luxuriosi bona decoquant, alienas pecunias mutuo acceptas abliguriant, viros bonos, sobrios, frugales, industrios perdant? Ecquis haec rerum momenta considerans non laudaret praetorem, ius protopraxiae ad emendum credenti indulgentem, aequae ac in ipsius edicto tam iusto lubens non acquiesceret? Caeterum non est, qui cum quibusdam eruditissimis g) vrgeas, praetorem e re nata edixisse duntaxat, vt priuilegio personali simplici gauderet, qui ad instruendam aut emendam nauem credidit, non vero eundem statuisset, vt idem ius protopraxiae indulgeretur et aliis creditoribus ad domum, aliamue rem emendam nummos mutuo dantibus, hinc allatum edicti fragmentum non fauere sententiae generali, quam tueor. Iurare auferim, futurum esse, vt tuus scrupulus non torqueat

A 3

f) L. 38. §. 1. D. L. 4. et 6. C. de bon. auct. iud. poss. L. 10. C. qui pot. in pign.

g) Inter hos familiam ducunt A. FABER *Coni. L. VIII. C. XI.* I. SICHARDVS *ad L. 7. C. qui pot. in pign.*, et FR. STYPMANNVS, *de iure Marit. et Naut., P. IV. cap. V. n. 67. seqq.*

mentem, si modo cogitaueris, in digestis nostris rarum non esse, vt exemplum adferatur, non, vt eo alia species restringatur aut excludatur, sed vt potius adducto exemplo regula illustretur.

## III.

*Sententiam nostram confirmat L. 34. D. de reb. auct. iud. poss.,  
quae illustratur.*

Quam praecunte PAVLO adornauimus, sententiam quoque defendit MARCIANVS. *Quod quis, sermonem iurisconsulti integrum recitasse iuuabit h) nauis fabricandae, vel emendae, vel armandae, vel instruendae causa, vel quoquo modo crediderit, vel ob nauem venditam petat, habet priuilegium post fiscum.* Distincte incedit MARCIANVS, diuersis quatuor creditoribus priuilegium personale adiudicans. Tres priores, e sententia iurisconsulti, sunt, qui crediderunt nauis fabricandae, vel armandae, vel instruendae causa. Audio, te dicere, vnum modo creditorem his indicari, et plura verba a MARCIANO iuncta esse, vt oratio esset paulo ornatior modulatioque. At salua est nostra sententia. Nam tua interpretatio calculum non meretur, ob voculam disiunctiuam *vel*, qua vtitur iurisconsultus, et cui constant etiamnum sua munia. Quid! quod ipsa natura vocum suadet, vt tres diuersos creditores a semet inuicem separemus. Hos vero omnes quartum excipit creditor, cuius iura defendimus, et quem reliqua verba MARCIANI concernere videntur. Etenim hisce, *vel quoquo modo crediderit i)*, iurisconsultus dubio procul innuit, in priuilegio personali concedendo ad emendum credenti nil interesse, num

h) L. 34. D. de reb. auct. iud. poss.

i) Retinemus verba, prout editio vulgaris exhibet. Scimus caeterum, editionem Taurellianam loco *quoquo modo* exhibere *quoquo modo*. Vid. C. F. HOMMELII *Palingenes libr. Iur. Vet. tom. I. p. 423.*

num emtori ipsi? an redemptori operis, i. e. illi, qui domum aedificandam conduxit? an vero, iussu emtoris, venditori materiarum creditum dederit? Verbis vero, *vel ob nauem venditam petat*, intelligi volunt viri eruditione incliti k) eum, qui nauem vendidit, ac fidem de pretio habuit. Si, quod sentio, ingenue fatendum: nimis contorta haec interpretatio mihi videtur. Quare risum teneatis, lectores, si vobis dicam, mihi mer potius placere explicationem his de verbis factam a glossatoribus, viris, contra quos caeteroquin odium exitiale ea propter foueo, quod, vbi neruo et acumine opus, languent et flaccescunt, contendunt vero insudantque, vbi otiosa sunt omnia. Si enim integrum sermonem MARCIANI diligenter considero: lubens cum glossatoribus memorata verba restringo ad casum, quo quis emtori navis, ad soluendum pretium promissum, nummos credidit. Nec est, quod metuam, ne pergentem hoc itinere derineant tam verba, *privilegium habet post fiscum*, quam argumentum inde elicatum ita sonans. Si fiscus antepoendus illis, quorum pecunia credita est munita vinculo hypothecae; sequitur, idem dicendum de nostro creditore, privilegium habente post fiscum. Facile enim terrorem, quem argumentatio incurrit, dispellere possumus. Nam nullus quidem auferim in dubium vocare ius protopraxiae fisco competens et ob tributa oneraque l), et ob debitum primipilare, quod, tanto iure ornatum esse, constat, vt et ipsi doti, summo favore caeteroquin dignae, praeferratur m). At idem ego met

- k) Ita sentiunt VL. ZASTVS ad L. 34. D. de reb. iud. auct. possid. n. 3, AVCTOR. Coll. Iur. Argent. eod. tit. th. 32., A. LAV-  
TERRACHIVS de priu. cred. person. simpl. §. 23.
- l) L. 4. C. in quib. caus. pign.
- m) L. 3. C. de primip., L. 4. C. in quib. caus. pign. Quid sub debito primipilari veniat, optime docuit C. A. L. B. de BRAVN. diff. erud. de Debito Primip. §. V.

met statuo, fiscum in aliis caussis, in quibus leges nullum eius ius praecipuum agnoscunt, non anteponi debitis pignoris nexu firmatis n), sed locum modo primicerium tenere inter creditores e chirographo actuos o). Quae vero quum ita sint, aut fallor, aut, ex MARCIANI sententia, creditor noster, quum saltem privilegio gaudeat post fiscum, praefendus erit creditoribus chirographum nudum producentibus. Tribui vero ei hoc privilegium debet, simulac probauerit, se non rem, sed nummos, sub hac lege debitori obaerato, mutuos dedisse, vt ad rem quandam emendam adhiberentur p).

## III.

*Creditori nostro iur pignoris, si id sibi peculiari pacto constitui curauit, indulget L. 17. C. de pign. et hypoth.*

Nouum, idque, meo quidem iudicio, non contemnendum robor sententiae nostrae inde accedit, quod ad hunc vsque diem desideretur constitutio generalis creditori nostro hypothecam adiudicans in rebus pecunia credita emtis *Quamuis ea pecunia, ita edicunt DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS q) quam a te mutuo frater tuus accepit, comparauerit praedium: tamen nisi specialiter vel generaliter hoc tibi obligauerit, tuae pecuniae numeratio in causam pignoris non deduxit: sane personali actione debitum apud praesidem petere non probiberis.* Tantum abesse, quiuis fatebitur, vt nummos ad emendum creditos iure pignoris taciti obligatos esse velint legumlatores optimi, vt potius verbis, nisi *specialiter vel generaliter hoc tibi obligauerit, haud obscure innu-*

n) L. 8. D. qui pot. in pign.

o) Vid. PAUL. sent. recept. V. 12. §. 10. ibique SCHULTINGIVM p. 480. Iurisp. Anteiust.

p) Arg. L. 7. D. de exerc. act.

q) L. 17. C. de pign. et hyp.

innuant doctrinae huc usque expositae acriter inhaerendum esse, nec prius eam deferendam, quam constaret, numerationem pecuniae, interueniente quodam pacto speciali, deductam fuisse in causam pignoris. Non accusabis me de falsa mente adfecta verbis edicti memoratis, si modo cogites, *DIOCLETIANVM* et *MAXIMIANVM* permittere creditori nostro, *ut actione personali persequatur creditum* destitutum iure pignoris. Meo quidem iudicio, non male. Sciebant enim Imperatores, hypotheca non constituta, debitorem modo obligatum esse, pecuniam mutuo acceptam restituendi; nec creditori, cuius nummis praedium quoddam comparatum, ius esse in praedio; sed emtorem potius rem ex alterius pecunia facere suam, non eius, cuius nummis res erat comparata r). Dedi rescripti sensum. Addamne exemplum illustrans doctrinam nostram? Addam. Ita res fiet clarior. Tabernis derelictis, inquit *VLPPIANVS* f), res existentes, licet ex vnus creditoris pecunia sint comparatae, omnes in tributum venire, nisi fuerint tali creditori pignorateae. En vigorem doctrinae nostrae temporibus iurisconsultorum, quorum centonibus constat pandectarum corpus. Simile in argentariis ius erat, auctore *IUSTINIANO* t). Nam, debitoribus obaeratis foro cedentibus, creditores antiquiores postponuntur, iussu diui Imperatoris, argentariis in rebus, quae horum pecunia credita acquisitae sunt, si modo generalis aut specialis conuentio de hypotheca constituenda accesserit. Quid igitur haeremus? immo quidni signemus responsa eorum, qui cessan-

r) *L. 6. C. de R. V., L. 12. C. de Iur. Dot.* Adde, si placet, *E. BRONCHORSTII Enantioph. Cent. II. Ass. LXV.*

f) *L. 5. §. 17. D. de trib. act.*

t) *Nou. 136. c. 3.* Adde *H. HVBERTI diff. II. de Argent. Vet. c. 11. §. 5.* Insertam inuenies *Tom. II. Vol. I. Thes. diff. Iur. Belg.* quem debemus *G. OELRICHO.*

cessante tali pacto, cessare, statuunt u), ius hypothecae in  
 nummis ad emendum creditis. Caeterum recepto DIO-  
 CLETIANI ac MAXIMIANI edicto ambigi coepit, si  
 creditor noster anhelat ius hypothecae acquirendum, an  
 hypotheca priuata scriptura constituta sufficiat? an vero  
 publica desideretur? Aiunt, scio, patroni hypothecae  
 publicae, periculum omnino esse, vt, si instrumentum pri-  
 uatum publicis instrumentis anteponeatur, fraus committa-  
 tur in designando tempore, et vt cuius tempus contra-  
 ctus adponat in suum usum. At caue, iis accedas. Inane  
 est prolatum argumentum. Nam non iusserunt legumla-  
 tores, vt hypothecam apud acta constitui curaret creditor  
 noster ius protopraxiae anhelans. Continetur modo al-  
 latis verbis generalis constitutio, circa cuius interpretatio-  
 nem argumentum probe fit a verborum latitudine ad con-  
 sequentiam iuris ea definiti. Igitur quid restat, nisi quod  
 et tunc protopraxiae ius indulgeamus creditori nostro, si  
 hypothecam priuata scriptura constitui curauit.

V

u) Ita sentiunt FR. BALDVINVS *de pign. C. VI.*, G. BARTHIVS  
*Hod. For. Ciu. C. III. §. 15.*, F. BRUNNEMANNVS *Proc. Conc.*  
*Cred. C. V. §. 41.*, H. DONELLVS *de Pign. et Hyp. C. IV.*, P.  
 GVDELINVS *de Iur. Nou. L. IV. C. XVIII.*, A. ALLYSER  
*Med. ad Pand. sp. 226. n. 11.*, A. PEREZIVS *Com. ad C. tit. in*  
*quib. causis*, C. PH. RICHTERVS *de Iur. et Priu. Cred. P. IV.*  
*C. V. n. 34.*, ARN. VINNIUS *Sel. Quaes. L. II. C. IV.*, P. VAN-  
 DERAKVS *de Priu. Cred. c. VIII. p. 269.* ed. col. de an. 1569.  
 His iungas, si res iudicatas desideras praeter M. BERLICH-  
 VM *P. h. Concl. 65. n. 141.*, B. CARPZOVII *Iurispr. for. P. I.*  
*C. XXVIII. Def. CV.* H. BROCKESII *Obs. Sel. Arg. XV. A.*  
 RAUCHBARI *Quaes. Iur. V.*



*Creditori nostro, si res credendis nummis emendas sibi pignori esse obligatas prospexit. potius ius inter creditores hypothecarios tribuit L. 7. C. qui pot. in pign.*

Possit sic perorata videri caussa. At cogitanti, DIO-  
CLETIANVM ET MAXIMIANVM paulo copiosius de hoc  
iuris articulo exposuisse mentem, lubet adponere aliam  
constitutionem, quam iisdem debemus. Huius est teno-  
ris w). *Licet iisdem pignoribus multis creditoribus diuersis  
temporibus datis priores habeantur potiores, tamen eum, cuius  
pecunia praedium comparatum probatur, quod ei pignori  
esse specialiter (obligatum statim conuenit, omnibus anteferr  
iuris auctoritate declaratur. Bipartitam esse hanc consti-  
tutionem, et vel illi adfirmabunt, qui supra vulgi humili-  
tatem non adsurgunt. Prior pars tradit regulam, vi cuius,  
pluribus pignoribus, multis creditoribus datis, is potior  
iure esse debet, qui est prior tempore. Altera exponit ex-  
ceptionem, qua is, qui ad emendum credidit, praeus ius inter  
creditores hypothecarios habet, si pacto statim adiecto  
sibi prospexit, ut res, ad quam comparandam mutuum  
fuerat datum, pignori specialiter esset obligata.* Lectoris  
gratiam me initurum confido, si fingam exemplum, quo  
constitutio memorata illustrari poterit. Accipe id.

Iauolenus, perinclitus salsamarius, M. aureos sibi  
mutuos dari expetit ab Asinio, esurionum parente. La-  
mentis, gemituque et femineo vlulatu suorum necessari-  
orum per diplomata, syngraphas, cautiones deceptorum,  
se eo adductum dicit Asinius, ut nulli credat sine sponso-  
re, id est, agro, vinea, domo oppignorata. Quare Iau-  
uolenus, ut voti particeps fiat, ac ut eo tutius debeatur,  
quod in obligationem deduxit, obligat Asinio omnia bona  
B 2 soluta,

w) L. 7. C. qui pot. in pign.

soluta, quae habet, habiturusque est. Paulo post idem is Iuolenus mutuum desiderat a Thelesino. At etiam in hunc cadere iugur x)

*Quum rogo te nummos sine pignore. Non habeo, in-*  
*quis.*

*Idem, si pro me spondet agellus, habes.*  
*Quod mihi non credis veteri Thelesino sodali;*  
*Credis colliculis, arboribusque meis.*

precibus tandem ac verborum lenocinio emollitus Thelesinus pecuniam soluit, sub hac tamen lege, ut Tusculanum credendis nummis emendum statim hypothecae speciali subiiciatur. Iuolenus e salgamario dominus praedii nobilis factus domicilium mutat, et Tusculanum diuerforium selegit. Eum sequamur. Abhorret a negotiis omnibus. Aestiuu pratula, fontes geliduli, abietes viridulae voluptatem ei adferunt. Feruent quotidianae venationes, quum caelum patitur. Sedet ad retia; amitem sustinet; lassat canes ad tempus ac irritat. Apri spuma, quum fremunt inter vepres, cerui saltu eum delectant. In aruis placet lepus cursu, gyro et amphitractionibus vulpes. Tandem petit rectum, ut ab aestu releuetur, qui, per adustas postremae ambulationis horas, ipsum non sine leui fastidio adfecerat. Ibi, quod fastum spectat, nihil desideras. Inueniunt aduenae dispositas, in mensa bene instructa, patinas ex argilla candida, aui culis, floribus, aliisque picturis ornatas, argenteis multo mundiores. Adferri, conspicias, opima fercula, eduliaque dulcem elaborantia saporem, quae prius emissitibus oculis quam patulo ore a magistro relicto filiis ingurgitantur. Recitare audis Iuolenum, labiis cyathum adponentem, sequens hoc distichon

*Laudet*

x) MART. Epig. L. XII.

*Laudet aquas, qui vult. Vinum mihi tradite. Vires  
Firmantur vino, debilitantur aquis.*

Conuiuas exemplum hospitis imitari, vides, et magistrum memoratum, furore poetico inflammatum, dum merum e phiala in craterem infundit, ita exclamare audis y),

*O phiala! o mea spes! pax mea! puto, viuere tecum  
Possè diu: timeo, te sine possè mori.*

Somno, largas commissiones et vberimos potus, tamquam opportuno medicamine temperat Iauolenus, eumque diu alte stertentem et profundo sopore oblitum tener lectus. At sic, dum dulcissimo vitiorum omnium consortio bene vincta oblimat patrimonia, opinione citius foro cedit; ad piper et salgama reuertens fidem non inuenit; digito a plebecula monstratur. Petunt decepti creditores, se mitti in possessionem bonorum. Oriuntur lites innumerae. Certant inprimis de iure protopraxiae Asinius et Thelesinus et alter alterum non ferro, sed doctis disceptationibus submouere satagit. Is tenaciter vrget regulam, quod, eadem re pluribus obligata, prior tempore, potior iure esse debeat. Hic e contra, cum aequitate conuenire, vociferatur, vt aliis anteponatur in Tusculano, quod suis creditis nummis esset comparatum.

Quae igitur sententia ferenda? Egomet si sederem in tribunali; Thelesino concederem ius protopraxiae. Quo autem iure? e memorata constitutione **DIOCLETIANI** et **MAXIMIANI**. Quod enim a creditore ius protopraxiae anhelante obseruari voluerunt; id obseruauit Thelesinus, puta hypothecam in Tusculano emendo sibi constitui

B 3

stitui

y) Hos versus debeo I. A. de IANVARIO in *Feris Autumnis* post *Red. e Republ. Iurisc. p. 66.*

stirui curauit *statim*, i. e., quum solutionem praestaret. Aut enim fallor, aut haec *statim* 2) seu tempore solutionis facta pignoris constitutio fecit, vt ad lauolenum emtorem et debitorem transfret Tusculanum cum sua causa, quae fuit, vt statim esset obligata Thelesino emtionis premium danti. Hac ratione praeuertebat hic causas pignoris et Asinii, et omnium aliorum creditorum, quibus Tusculanum prius non poterat esse obligatum, quam erat in bonis lauoleni. At quum huius esse inciperet: retinebat etiam suam conditionem, quae erat, vt oppignoraretur Thelesino, qui credidit ad id emendum.

## VI.

*Sententia illorum refellitur, qui ad emendum credenti pignus tacitum indulgent ducto argumento ex L. i. d. in quib. caus. pign. tac. contr.*

Ait PAPINIANVS a), *senatusconsulto, quod sub Marco Imperatore factum est, pignus insulae creditori datum, qui pecuniam ob restitutionem aedificii exstruendi mutuum dedit, ad eum quoque pertinebit, qui redemptori domino mandante nummos ministravit.* Quo splendido ac specioso testimonio inducti sunt non pauci b), vt doctrinam a nobis traditam infringere auderent argumento huius tenoris. Si is, qui ad domum resciciendam credidit, habet hypothecam tacitam, auctore PAPINIO; multo magis ius taciti pignoris

2) In primis vrgere, video, F. CONNANVM *Com. Iur. Ciu. L. IV. C. ii. n. 12.* et H. PISTOREM *L. III. Q. XV.*, requiri statim de pignore conuentum esse.

a) *L. i. in quib. caus. pign. tac.*

b) Agmen ducunt A. GAILLVS *Obs. Praet. L. II. O. XII. a. a. M. A. de Conc. Cred. L. II. §. 18.* S. PACIFICVS *Tr. de S. p. Interd. Inst. III. C. II. n. 506.* I. VITALIS *Leß. Fur. L. II. C. 19. p. 633.* Thes. *Iur. Ciu. b. E. OTTON.*

gnoris indulgendum erit illi, qui mutuum dedit, ad donum e mendam. Atqui. Ergo. Verum enim vero illustrandis iamiam PAPINIANI verbis adductis docebo, aduersarios tam longe a vero aberrare, vt mihi ipsae chartae, in quibus argumentum est scriptum, erubescere videantur. Ad adductorum verborum interpretationem sciendum est, eandem, mea quidem opinione, esse constitutionem, quam proiatis verbis PAPINIANVS *senatusconsulto* DIVI MARCI tribuit, edicto autem facto a DIVO MARCO VLPIANVS e), quem hic in subsidium vocasse e re nostra erit. Vt ita sentiam, me hoc imprimis mouet, quod hisce temporibus Principes, si edicto cauissent, quae aut maioris momenti erant, aut quae ad posteritatem valere volebant, nil prius, nil posterius habuerunt, quam vt illa senatusconsultis confirmarentur, atque sic in leges abirent. Quid? quod senatusconsulta, si qua ad ipsorum beneplacita erant composita, ipsi suis edictis confirmabant, confirmata publicabant, atque sic noua specie libertatis illudebant populo, vt hic omnia de sententia senatus totius fieri a Principe crederet d). At huic meae interpretationi non minimum aduersari, dices, quod PAPINIANVS et VLPIANVS non conueniant in exprimendo iure praecipuo, quo gaudere debeat is, qui credidit ad restituendam domum. Sed res in expedito est, ac facilis explicatu. Nimirum in constitutione ipsa, quam, mea pace, aut edictum principis senatusconsulto, aut senatusconsultum edicto principis firmatum dicere poteris, duplex ius indulgetur non modo illi, qui credidit in solidam domus alioquin ruiturae, sed etiam illi, qui redemptori mutuum ministravit. Primum ponit VLPIANVS in iure *exigendi*, alterum iudicante

c) L. 24. D. de reb. auct. iud. poss.

d) Pluribus id docent I. G. HEINECCIUS l. c. C. IX. §. 3. et G. L. BOEHMERVS *diss. de iur. Merc. Opif. in Conc. Cred. p. 388 Sel. iur. Cit.*

dicante PAPINIANO, absoluitur pignore in restituta insula, id est, domo ab aliis separata, nec coniuncta vicinis parietibus e). En igitur iurisconsultos sibi non aduersantes. Ne vero me accusēs, ac si nimium indulgeam ingenio; in mentem reuoces, volo, leges sibi statim non esse contrarias, quando vna plus, altera minus constituit. Quid? quod nec absolum est, priuilegium ac hypothecam concurrere. Quem namque fugit, et fisco f), et pupillis g), tribui priuilegium, licet et hypothecae iure gaudeant h)? At exploranda iam erit paulo intimius ratio praecipui iuris in oratione DIVI MARCI indulti illis, qui ad domum reficiendam crediderunt. Scias igitur, in Romanorum architectura et aedibus nil non fuisse magnum et splendidum. Ingredientibus aedes stuporem iniiciebant pauimenta, parietes, columnae, laquearia, trabes; marmore inducta, imo inaurata omnia; adiuncta quoque belluata aulaea

--- --- et emissae per cuncta cubilia lymphae.

Non mirum igitur, quod in aedibus restituendis non modo publicam vtilitatem versari, sed etiam in eo decus vrbis agi, existimatum est, ne ad spectus publicus vrbis ruinis deformatetur. Superfunt in veteribus monumentis, quae nostra versamus manu, argumenta non pauca, quae abunde docent, nomothesium romanam inuigilasse restituendis aedificiis. Curator reipublicae prospiciebat, ne vrbs deformatetur; iubebar, vt dirutae domus exstruantur

- e) Vid. TACIT. Ann. L. VI. C. XLV. et Hist. L. I. C. 86. TH. REINESII Insc. C. 1. 138. I. A. F. de BACK ad L. I. in quib. caus. apud Oelrichium l. c. V. l. P. II. p. 93. I. VICAT. Voc. iur. voce insula.  
 f) L. 34. D. de reb. auct. iud. poss.  
 g) L. 19. D. ib.  
 h) Euoluas O. WESTENBERGII Diuum Marcum diss. XLI. §. 11. p. 359.

tur a dominis; ferebat auxilium deformitati remedio comperente aduersus detrectantem i). Praesidibus mandatum erat, vt cognitione caussae adhibita compellerent dominos ad reficiendas aedes collapsas k). Vni e sociis, si is communem domum, aut balneum restituisset, nec alter intra iv menses partem sumtuum impensorum cum vsuris centesimis soluisset, pars domus restitutae ad crescebat l). Igitur aut fallit animus; aut ad curam publicam omnino pertinuit, indulgentis iuribus eminentioribus allice-re diuites, vt nummis credendis subuenirent inopibus, si collapsas aedes restituere non poterant. An vero iam dubitares asserere, adductis circumstantiis latere rationem iurium nummis ad reficiendas aedes credendis concessorum oratione *DIVI MARCI*? Egomet eo magis id contendo; quo aequius esse, video, iura eminentiora concedere talibus creditoribus, qui pecunia credenda omnium causam reddiderunt saluam. Quibus vero potitis quid inde sequitur? Anne argumentum, quod aduersarios inde intulisse vidimus? Nequaquam. Is enim, qui ad rem emendam credit, nil ad prohibendas ruinas confert, nil ad aedificia conseruanda. Nec ad publicum vrbis adspectum, nec ad ornamentum spectat, vtrum tu? an vero alius quispiam possideat aedes? At interest rei publicae, vt plurimae ornataeque domus sint in ciuitate, ac vetustae et collapsae restituantur. Quare elumbi Marte pugnassee viden-

i) *L. 46. D. de damn. inf. L. 3. C. de aed. priu.* Iungas, si placet, *IO. WASTEAV. diss. de iur. et iuris d. mun. ap. OELRICHIUM l. c. p. 304.*

k) *L. 7. D. de off. Praef.* Addidisse non poenitebit *I. BORELL.* de *MAREGNAULT. de Off. Praef. Prou. ap. EVM. D. p. 133.*

l) *L. 4. C. de aed. priu. L. 52. §. 10. D. pro soc. Conf. I. AVERANII Int. Iur. L. I. C. XIII., et I. CVIACII Obs. Iur. Rom. L. XIX. C. XX.*

videntur, qui ius pignoris, credenti ad domum rescien-  
dam concessum, concedere auferint et illi, qui ad aedes  
emendas credidit. Constat enim inter omnes, cessante  
cussa, cessare et ipsam legis dispositionem. Accedit et  
hoc, quod alii bene animaduerterunt m), oratione DIVI  
MARCI pignus insulae concedi modo ob pecuniam creden-  
ditam ad aedes restituendas, non vero nouiter exstruen-  
das. Si igitur exulat ius pignoris, quando pecunia cre-  
dita adhibetur ad domum nouiter exstruendam; multo  
minus memoratum ius oratione DIVI MARCI indultum  
extendi poterit, si quis nummos credidit ad rem emen-  
dam.

## VII.

*Secus sentientes nec Auth. quo iure C. qui pot. in pign. nec  
Nov. XCVII. C. III. iuuari, offenditur.*

Argumento allato quum fecus sentientium doctrina  
defendi nequeat: mirum non est, si iidem varia commi-  
niscantur, ut se extricent. Ita, ut alia taceam, eos in  
subsidium vocare conspicias, recentiora edicta, quae IV-  
STINIANVM auctorem agnoscunt. Adserunt, legisla-  
torem optimum a), posteaquam inceperat de iis loqui,  
qui, ob indulta ipsis priuilegia, anteponuntur creditoribus  
aliis ratione hypothecae ipsis constitutae anterioribus,  
exempla proferre, ac ea propter sistere illum, qui suis  
nummis aut ad reparandam, aut ad emendam rem credi-  
dit. Dein, ita porro adserunt, IVSTINIANVM iubere,  
ut noster creditor anteponi debeat omnibus illis, qui  
antiquius hypothecae ius in bonis debitoris habent.  
Quid?

m) A. ALCIATVS ad L. 25. si cert. pet. et H. PISTORIS  
c. 11. 7.

a) Auth., quo iure C. qui pot. in pign., Nov. XCVII. C. III.



Quid? quod Imperatorem, licet mouisset dubium, num ille, e cuius pecunia credita agellus esset comparatus, ob indultum ipsi priuilegium praefendus foret vxori dotem reperenti, edixisse, mulieribus talia priuilegia opponi non posse ab illis, qui ad emendum creditoribus. Ex hac autem diui IUSTINIANI voluntate patere, ita concludunt, ius pignoris taciti concessum isti creditori, cuius iura defendimus. Nam non modo Imperator adfirmans, sibi de illis creditoribus esse loquelam qui hypothecae iure gauderent, annumerat talibus creditoribus et illos, quorum nummis creditis res est acquisita, sed etiam Idem is hos vltimos illis aequiparat, qui ad rescindendas aedes mutuam dederunt pecuniam, quos autem rem ipsam iure pignoris taciti obligatam habere, constat. Quæris, quid sentiam de hoc secus sentientium argumento? Numquam profecto, vt ego quidem arbitror, haec scripsissent, si cognitam perspectamque habuissent summam constitutionis Iustinianæ, secundum cuius tenorem, ex peruersa interpretum b) doctrina, mulieri dotem reperenti is cedere debet, qui credit in rem comparandam vel rescindendam cum expresso pacto pignoris. Eam tradam elisurus secus sentientium argumentum. Nimirum IUSTINIANI æuo non modo existimatum est, frigere Venerem sine peculio foeminarum, sed etiam dubio procul mulier indotata cristas facpius erexit, atque, si male educata, aequè grauis fuit maritis, quam diues, honestiori loco nata, et humaniter instituta. Quare paulo rarius Iuuenalis aliusue amator pauperem Venulinam Corneliae Gracchorum praetulit, sed potius in votis habuit, vt ditata veniat, quam non solum.

C 2

Lae.

b) Ita A. NEGVSANTIUS de Pign. P. V. M., 2. n. 16. I. ROBERTVS Animad. L. W. n. 25, A. D. SONNEMANNVS Com. ad ius nouell. p. 606.

• • *Lactorum sociam rebusque secundis*  
*Accipit,*  
 sed quae etiam lubens.

*In curas veniet, partemque laborum:*

Quum vero reipublicae interesse cognoscerent legumlatores, maritos non perdere bona dotalia, sed mulierum dotes saluas esse; variis privilegiis et actionibus dotem ornarunt, atque munierunt. Inter reliqua privilegia non minimum erat illud, quod mulier, pro conservanda dote, non modo tacitis hypothecis antiquioribus in bona mariti, sed etiam expressis anteponebatur c). Quaerebatur iam, quae sententia tunc ferenda foret, si mulier dotem suam repetens concurreret cum tali creditore, qui, post allatam dotem marito, vel ad comparandas vel rescindendas res, constituta hypotheca, nummos muruos dedit? Num mulier tali creditori? an vero talis creditor mulieri praefendus esset? IVSTINIANVS hanc controuersiam edicto, quod inuocant fecus sentientes, decidens sanciuir, ut creditor noster, si hypotheca prior fuerit tempore, id est, nummos ad emendum prius dederit, quam vxor intulerit dotem, mulieri praeferreretur, iuxta vulgatum illud, privilegiatus aduersus priuilegiatum non vtitur privilegio. E contra creditor noster cedere debet ex eadem sanctione mulieri, si dotem dedit marito, antequam is pecuniam muruam dedit ad emendam domum, stabulumue. En summam edicti recentioris, quod debemus IVSTINIANO.

Sa-

c) Id pluribus docuerunt H. HAHNIVS *ad Wesenb. de Priu. Cred.* n. 4. et 2. A. FACHINEVS *Cont. L. III. c. 90.* MVNNIVS *Var. Resol. L. III. tr. 3. P. V. q. 4.* I. WISSENBACHIVS *in Emblem. Trib. ad L. I. Sol. matr. P. de TOVLLEIV de Iur. Nupt. P. 107. Tom. I. Iurisp. antiq. quam debemus D. ELLENBERGIO.*

Sane si eam consideremus paulo penitius; immo si inprimis verba sub initium conspicua ponderemus; fatendum omnino erit, Imperatorem novum ius condere, aut ius tacitae hypothecae creditori nostro indulgere noluisse, sed eundem potius, quam decisionem quaestionis obmotae ferret, quoad privilegia, creditori nostro indulta, sese retulisse ad ius antiquum. Quum vero ius antiquum, nummis ad emendum creditis, pignus tacitum non indulgeat, sed tantum protopraxiam admittat, si pignus expresse sibi confirmari curaverit creditor noster: sine haesitatione concludimus, IVSTINIANVM facta decisione anteriorem hypothecam expressam respexisse, qua opus, si mulieri praefereendus is, qui ad emendum credidit.

VIII.

*Ostenditur, et illi, qui ad militiam emendam credidit, ius praecipuum concedi Nou. XCVII. C. IV.*

Quid tum? si thori socia dotem reperens concurrat cum illo, qui ad militiam emendam credidit. Audias IVSTINIANVM ita ea propter edicentem a), sancimus, si quis crediderit aurum occasione militiae, siue statutum fieri, vel pro aliis quibusdam talibus causis: et expressim hoc ipsum scribatur in instrumento: et in hoc fiat pactum, ut casu proveniente, prior sit solus, qui ad hoc credidit: et huic solo casui cedere mulierem. Quum hic nominetur militia; huius denominationis explicationem praetermittere nequeo. Ea significabat officia eorum, qui in aliqua schola inter statutos relati erant, et salaria commodaue quaedam conferebatur ex Imperatorum munificentia b). Talis militia

C 3

fuit

a) Nou. XCVII. Cap. IV.

b) Ita nobiscum militiae vocem, cuius iterata mentio fit in Codic.

fuit silentiariorum, hoc est, eorum, qui per palatium principis imperabant silentium, maxime Principe somnum capiente c). Talis etiam erat militia adiutorum Quaestoris palatii d). Poterant vero haec militiae et legari aliis, et transmitti ad heredes, et vendi et emi. Non mirum igitur, si audias, eandem quodque potuisse obligari pignori vel hypothecae f). E tali hypothecae nexu in creditorem is usus redundabat, quod iste nempe iure hypothecae per actionem quasi seruianam sibi vindicabat commoda et stipendia, quae e fisco perciperet is, qui militiam habebat, et hypothecae nexui subiciebat. Allaris verbis confirmat IVSTINIANVS memoratum ius creditoris, adeo, ut, qui ad militiam emendam crediderit, praeferratur omnibus creditoribus, atque etiam *mulieri dorem repetenti*. Sed addit Imperator, id demum valere, *si negotium gestum fuerit scripto, cui testes subscripserint*. Vides igitur, et esse quaedam negotia, quae desiderant omnino scripturam, adeo, ut ea omissa non valeant.

## VIII.

ce et Nouellis, describunt c. RITTERSHVSIUS *Jur. Iustin. P. III. C. VIII.* et N. STEPHANI *ad Nou. LIII. n. 17.* Paulo aliter eam definit. AND. ALCIATVS *L. I. praeterm. verb. militia.*

- c) Vid. I. CUIACIUM *L. I. C. de silentio.*
- d) Quae Officia Quaestoris Palatii fuerint, optime indicauit M. C. CERTIVS *de Sep. Rom. L. IV. C. V.*
- e) Pluribus id docuit III. I. F. EISENHARDTIUS *de iure eius. qui ad militiam emendam credidit, in conc. creditor. §. X. seqq. p. 186. in Opusc. var. arg.*
- f) *L. ult. C. de pign. et hyp.*

*Iura eminentiora, quae pupillis in rebus credita eorum pecunia comparatis tribuunt L. 7. pr. D. qui pot. in pign. et L. 2. C. quando ex facto tut., ostenduntur.*

At et ipsi pupilli a nobis exposcere videntur, ut et ipsis locum tribuamus in hac dissertatione. Quae nimirum voluit, ut aliorum praesidio destituti non essent illi, qui se ipsi per aetatem defendere nequeunt: nomothesia romana et hic pupillis subueniebat. Constitutum namque legimus a), ut, si quis nummis pupillorum rem quandam emerit, pupilli in eiusce generis rebus, ipsorum pecunia credita comparatis, tacitum pignus accipiant. Quid? quod id et tum valere constat b), etiamsi emtor esset pupillus. Ratio autem, cur tale ius praecipuum pupillis sit indultrum, later in favore erga minores. Quum enim infirmum admodum sit pupillorum consilium, et multis captionibus suppositum, multorum denique expositum insidiis: accidere facile posset, ut bona auita miseris illis, et ob aetatis animique imbecillitatem indefensis subtrahantur, dissipenturque. Quo igitur non facile nummis per fraudem et insidias aliorum spoliarentur; e re publica omnino erat, nummos pupillorum ornare iure quodam eminentiori, si scilicet adhiberentur ad rem emendam. Caue vero existimes, ut indulti pignoris taciti subiectum tantummodo fuerit res pecunia pupillari emta. Nam et serui, si tutor quosdam emerit nummis pupilli, eosque manumiserit, non sunt liberi, sed potius pupillo iure pignoris obligati c). Inuenimus maius adhuc priuilegi-

a) L. 7. pr. D. qui pot. in pign.

b) L. 3. D. de reb. eor.

c) L. 6. C. de ser. pign. clat. manum. Add. G. NOODTII Oper. tom.

legium pupillis hic indultum. Nimirum si tutor pecunia pupillari rem quandam suo nomine emerit, pupillo dominium et rei vindicatio comperit d). Nullus errare videor, si eius rei rationem in eo latere statuo, quoniam tutoris est, ut pecuniam pupillarem in emenda praedia collocet, nec culpa careat, si id facere omiserit e). Accedit, quod tutoribus interdican iura, ne nummos pupillorum in suos usus vertant f). Obiicere te, audio, absurdum esse, hypothecam et dominium concurrere. At tam leuis est haec obiectio, ut nihil profecto superfit, nisi, ut tibi occinam vetus illud,

*Collige sarcinulas - - - et exi,*

*Iam grauis es nobis - - -*

rom. II. pag. 446. et W. GRVNINGII Tr. de Pign. et hyp. § XLII.

d) L. 2. C. quand. ex fact. tut.

e) L. 5. pr. D. de admin. et per. tutorum.

f) L. 46. §. 2. ibid.



X 239 6279









*P. 210.*

1771, 2  
10

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
IVRIBVS ILLIVS QVI ALTERI  
AD EMENDVM CREDIDIT

QVAM  
PRAESIDIO  
D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII

IVRISCONSULTI ET ANTECESSORIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR

HENRICVS LVDOVICVS MATTHIAS  
HERTELL

CELLENSIS  
SOCIET. DVCAL. TEVTON. ABSRIPTVS

A. D. XXVII APRILIS MDCCLXXI.

HELMSTADII  
LITTERIS VIDVAE PAVL. DIET. SCHNORRII  
ACADEM. TYPOGR.  
RECVS. A. C. MDCCLXXV.

